

BOLETIN ECLESIASTICO

DEL

ARZOBISPADO DE TOLEDO.

ORACION DE LAS CUARENTA HORAS.

Tal es el nombre que tienen los ejercicios instituidos para oponer las prácticas de piedad á la licencia que reina durante los días de Carnaval. Sabido es que S. Carlos Borromeo publicó reglamentos contra los excesos que tan graves eran durante estos días en la diócesis de Milan, y que prescribió muchas prácticas de devoción y de penitencia que los fieles habían de observar. El Cardenal Paleotto instituyó con el mismo objeto en Bolonia, de donde era Arzobispo, la oración llamada de treinta horas con sermón é indulgencia. S. Felipe de Neri hizo adoptar para Roma la costumbre de visitar procesionalmente en los tres días de Carnaval las siete principales iglesias. Mas adelante estas procesiones se reemplazaron con la *Oración de las Cuarenta Horas*, que consiste en la exposición del SANTÍSIMO SACRAMENTO, con sermón, letanías, etc. Benedicto XIV publicó en 1748 ordenanzas muy sábias para estirpar los abusos del Carnaval, é invitó á los Obispos á esponer el SANTÍSIMO SACRAMENTO, concediendo una indulgencia plenaria á los fieles que tomasen parte en estas prácticas santas en reparación de los ultrajes que en aquellos días recibe Su Divina Magestad. Diez años despues, Clemente XIII estendió la indulgencia á toda la cristiandad por

medio de una Constitución en sumo grado piadosa, en que escita á los ministros de Jesucristo á llorar durante estos tres días entre el vestíbulo y el altar. Actualmente en Roma se esponen el SANTÍSIMO en casi todas las iglesias, y todas ellas rivalizan en solemnidad y magnificencia, distinguiéndose entre las demás la de Jesus de PP. Jesuitas, á donde suele asistir el Santo Padre con toda la corte el último día. El Papa Clemente XIII, en 23 de julio de 1765, amplió la misma indulgencia para cualquier otros días dentro de las semanas de Septuagésima, sexagésima y quincuagésima. Además de las *Cuarenta Horas* del Carnaval, hay otras ocasiones en que los Señores Obispos permiten la haya, y se ganan las mismas indulgencias. Como en muchos pueblos de este Arzobispado haya costumbre de tener las *Cuarenta Horas* en los días de Carnaval, hemos creído oportuno á las noticias dichas añadir los siguientes decretos que se refieren al mismo importantísimo objeto, tomados literalmente de un libro publicado recientemente en Roma con las licencias necesarias:

DE VARIIS RITIBUS AD SOLEMNEM HANC
EXPOSITIONEM SPECTANTIBUS.

«Desuper ianuam Ecclesie, in qua oratio xl. horarum peragitur, ponatur ex-

terius signum, mel imago Eucharistiæ sertis festivis ornata, prout indicat instructio sæpe citanda Clement. XII sub die 1 sept. 1736 ut Fideles foris existentes vel ad Eucharistiam adorandam per hoc signum excitentur, aut, ne vanis oblocutionibus orationi intus vacantes exturbent, admoneantur. Et in ipsa Ecclesiæ ianua sepimento vulgo *bussola* non stipata, ad Sacramentum à pluribus vindicandum irreverentiis, velum ponatur, vulgo *portiera*, sicque ne per viam transeuntes nunquam Sacramentum cernere possint.

» Triduo expositionis post quodlibet salutacionis Angelicæ signum, seu vespere, mane, et meridie, et insuper ante Missam solemnem campanæ pulsentur solemniter. *Ead. instructio.*

» *Sanctorum Reliquiæ non sunt collocandæ super altare, in quo re ipsa ss. Sacramentum publicæ venerationi est expositum. S. R. C. 2 sept. 1741.* Ne videlicet Fideles retrahantur ab attentione erga ss. Sacramentum, et ab eiusdem veneratione. Imo P. Caval. post citat. instruct. addit: in altari expositionis non solum collocandas minime esse Reliquias Sanctorum, sed etiam cooperiendas, si quæ sint, statuas, vel icones ipsorum; *Præsertim enim Domino summo* (ait Bissus verb. exposit. n. 232) *cessare debet cultus Sanctorum.* Excipiuntur tamen statuæ Angelorum, non quidem universim, sed quæ candelabrorum vicem gerunt, simileve præstant munus aliud.

Multo magis à prædicto altari abesse debent figuræ, vel imagines mortuorum; imo nedum his, sed etiam pannis, aliisque lugubribus expers esse debet totum ipsum presbyterium etiam in expositionibus illis, quæ in suffragium animarum Purgatorii instituuntur: in qua tamen institutione apponi poterunt per Ecclesiam extra presbyterium panni nigri super parietes, imo et mortuorum figuræ.

» Num in altari, in quo publice ss. Sacramentum patet expositum, apponenda sit *Crux Missæ* tempore, quæstio est. Gavant. part. 2, tit. 44, n. 6. aliique plurimi sententiæ adhærent negativæ. Attamen emanavit S. R. C. decretum pro parte affirmativa sic expressum: *Super altare, in quo ss. Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debet, cum imagine Crucifixi apposita. S. R. C. 14 maii 1707.*

» In cuius vero efformatione decreti cum varia fuerint, ac discrepantia suffragia, cautum deinde fuit, ne ipsum decretum in lucem ederetur; quod cum nihilominus foras eruperit, universali tamen Ecclesiarum usu receptum non extitit.

» Quinimo, cum res iterum deducta fuerit ad examen, S. R. C. perpendens utramque partem Rubricistarum auctoritati, et rationi probabili esse suffultam, discernendum putavit, ut quælibet Ecclesia morem, et institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineat, et aliud propterea condidit decretum hoc modo:

» *Decretum S. R. C. de anno 1707 præcipiens. quod in altari, ubi est publicè expositum ss. Sacramentum, tempore Missæ Crux de more collocetur, apud aliquas Ecclesias non est in viridi observantia: et hac de causa instructio pro oratione XL horarum Clementis XI, Bened. XIII, et Clementis XII summorum Pontificum iussu edita, sub silentio præterit: an locanda, an vero removenda sit huiusmodi Crux, linquens quemlibet in sua praxi. S. R. C. 2 septembris 1741.* Decreti autem huius sensum satis aperit Bened. XIV his verbis, nempe: *Ut quælibet Ecclesia, vel Diœcesis suam retineat consuetudinem.*

» An ante ostiolum tabernaculi ss. Sacramenti retineri possit vas florum, vel quid simile, quod prædictum occupet ostiolum cum imagine Domini Nostri in eodem insculptum. S. R. C. respondit:

Negative: posse tamen in humiliori et decentiori loco 22 Ianuar. 1701. *Congr. Montis Coronæ* ad 10 dub. (Hinc et removenda tabella secretarum vulgo *carta-gloria* (a).

» *Ante ss. Sacramentum publice expositum fiat concio capite detecto, non obstante quacumque consuetudine; et abusus omnino est tollendus. S. R. C. 16 februarii, 1630.*

» Ad hoc tamen S. R. Congregationis decretum leniendum exurgit P. Cavalieri, approbans illarum Ecclesiarum praxim quæ concionis tempore velum quoddam ante ss. Sacramentum apponunt: unde nonnulla admitti, seu (melius) tolerari posse dicit: quæ minus licent, dum patet discoopertum. Hinc licitum facit sedere, et tam concionatorem, quam clerum sacerdotali bireto uti, aut parvo pileolo. Cum tamen ut ipse subsumit, adhuc Sacramentum in throno resideat expositum, licet velatum, abstinendum saltem ab iis, quæ magnam involvunt irreverentiam, cuiusmodi sunt eidem directe terga verte-re etc.

» Sed non optime quoad omnia: si enim in Missa Cœnæ Domini non debet (iuxta Cærem. Epis. lib. 2, cap. 23, et Missal. Roman. in proprio huiusmodi Missæ) omittere Sacerdos post sumptionem s. Sanguinis facere consuetas genuflexiones Sacramento super altari posito, etiamsi velo cooperiatur, uti eas facere deberet, si velo minime tegeretur: et si in expositionibus, quæ in pyxide fiunt, ea omnia iuxta S. R. C. decret. 22 dec. 1753, nec non rerum liturgicarum magistros præstari debent, quæ fieri decernuntur ss. Sacramento in Ostensorio exposito, quare impar esse debet agendi ratio, si velo super arun-

dinem penes partem tantum adstantis ss. Sacramentum obtegatur, reliquo eiusdem populi idem Sacramentum in conspectu, palamque habente?

» *Conveniens esse* (audiatur idem Cærem. loc. cit. n. 23, et hoc in praxi sequendum) *ut omnes præsentés, durante officio, starent semper capite detecto, et nunquam sederent; quod si ob longitudinem officii præstare non poterunt, non omittant saltem in signum reverentiæ detecto capite, existente ss. Sacramento super altari, divinis officiis assistere.*

» Quoad concionem denique, si alia non subsit via ad impediendum, ne auditores terga vertant Sacramento, habeatur sermo vel prope, iuxta instruct. Clement., vel ex ipsomet altari expositionis.

» *Quando ss. Eucharistiæ Sacramentum publice discoopertum exponitur, omnes ante illud transeuntes cuiuscumque conditionis, et ordinis sint, seu ad illud accedentes, seu ab illo recedentes, semper utrumque genu flectere debent. S. R. C. 16 augusti 1651.*

» Dum Sacerdos, Missam celebraturus, transit ante ss. Sacramentum expositum. caput non detegat nisi genuflexus; adoratione peracta, dum se erigit, caput cooperiat. *Rubrica Missal. § 2, n. 1 et sequens. S. R. C. decret. Sacerdos Missam celebraturus, ante Eucharistiam expositam transiens, illam flexis genibus, apertoque capite adoret, caput tamen, dum se erigit, cooperiat. S. R. C. 24 iulii 1638.*

» In Missis præsertim, quæ extra altare expositionis celebrantur, non pulsetur, iuxta instruct. Clement., campanula ad elevationem; cum enim Sacramentum sit patenter expositum, et in actuali omnium veneratione, non indigent Fideles per campanulam excitari ad eiusdem specialem adorationem, vel quasi idem Sacramentum non foret, quod publice adoratur expositum. Detur tamen aliquod signum cum solita cam-

(4) Decreti verbis perpensis patet prohibitionem ad vasa florum, vel quid simile quod ornatum respiciat limitari, minime vero ad tabellam secretarum pro commoditate sacerdotis celebrantis à rubricis requisitam. (P. M.)

panula in egressu Sacerdotis celebraturi è sacristia, ut Fideles admoniti insimul Sacrificio assistere valeant. In qua assistentia, si celebretur Missa extra altare expositionis, advertendum per quos stat, ne Fideles prope altare expositionis præsertim existentes terga vertant eidem Sacramento.

» *Missam in altari maiori, ubi est expositum publice ss. Sacramentum, non licet celebrare, præsertim si in Ecclesia adsunt alia altaria, in quibus celebrari possit. S. R. C. 19 augusti 1630. Item: Non debet cantari, neque celebrari Missa in altari, ubi est expositum ss. Sacramentum, nisi sit pro eo reponendo S. R. C. 1671.*

» Sed quid, si aliud in Ecclesia altare non inveniatur aptum vel ad celebrandam Missam solemnem, ut toto triduo præscribit instruct. Clement., vel pro communione Fidelium, et opus sit consecrare particulas? vel, si alio celebrando, diverteretur populus ab adoratione ss. Sacramenti? Hisce de causis, vel ipsarum una, qui adversetur Missæ sive solemnis, sive privatæ celebrationi in altari expositio nis, non esse videtur.

» Per plurima decreta Summorum Pontificum, necnon S. Ritum Congregationis prohibetur expositionis tempore assistentia in presbyterio personis laicalibus tempore functionum Ecclesiasticarum, et et etiam concionis; et per sanctionem Clement. quocumque alio expositionis tempore, et sub quovis prætextu, etiam orationis.

» Durante expositione, ubi competens est Ecclesiasticorum numerus, duo, vel saltem unus Sacerdos, vel Clericus in ipso presbyterio ante inferiorem altaris gradum in scamno tapete, seu panno decentis coloris cooperto cum cotta genuflexus assistat: Sacerdotes tamen ultra superpelliceam stolam habeant è collo pendentem, nisi obstant particularia synodi, vel Prælatorum mandata.

» Ubi vero instituta manet aliqua Con-

fraternitas, duo saltem ex Confratribus vicissim semper assint genuflexi extra presbyterium ante scamnum, vulgo *banco*, coopertum etiam tapete decentiss coloris. *Instruct. Clement.*

» Quoad luminum quantitatem in hac solemni oratione, serventur leges synodales, piæque ab Episcopis probatæ consuetudines. Ut tamen quid certi generaliter habeatur, ante Sacramentum publice expositum sexdecim ardeant lumina, nunquam vero minora duodecim, prout innuit S. Congr. Conc. instit. Eccles. 30, § 23.

» Hic dicendum restat: dum ss. Sacramentum manet expositum, mortuorum corpora in Ecclesiam expositionis minime esse inferenda, sed vel anticipentur exequiæ, vel differantur: et si horum neutrum fieri potest, tunc celebrari poterunt etiam solemniter, et in cantu per viam, et in ipsa Ecclesia terminabuntur submississima voce. *Caval. tom. 3, cap. in ord. 127.*

DE COLORIBUS PARAMENTORUM.

» Color paramentorum tam in Missis solemnibus privatisque, quam in vespere ipse erit, qui iuxta generales rubricas congruit Missæ, sive vesperis, quæ in præsens celebrantur; in processione vero congruentius utendum colore functionis immediate antecedentis. Si tamen coloris convenientis paramenta pretiosa non habeantur, tunc alterius coloris (aliqualiter tamen congruentis) ea adhiberi oosse, si pretiosa, licitum faciunt in similibus occurrentiis Rubricistæ.

» Sed quid, si dum Missa, vel officii color est violaceus, adhibeantur in defectu paramentorum huiusmodi coloris (vel si habeantur non sint pretiosa) paramenta alba? Resp. Cum color albus congruat et solemnitati, et Sacramento, eo in casu licite eo uti posse videtur: non tamen viceversa, cum color violaceus neque solemnitati, neque Sacra-

mento, neque etiam Missæ, vel officio, uti supponitur, congruat (4).

Quoad Missas vero de *Requiem* in solemniori oratione pro defunctis, dicendum, quod si extra huiusmodi occasionem per S. R. C. decretum 24 iunii 1670 in subsidium permittitur color violaceus pro nigro, à fortiori (imo decentius) dum ss. Sacramentum manet expositum, ut patet.

» Pallium denique altaris, in quo expositum est ss. Sacramentum, semper erit albi coloris, licet Missa solemnior vel vesperæ celebrentur in alio colore: ita pariter baldachinum, et velum humerale. *Instruct. Clement.*

DE MISSÆ QUALITATE SIVE SOLEMNIS, SIVE PRIVATE.

» Cum oratio quadraginta horarum institui minime queat, nisi ob publicam, et gravem vel congregationis, vel populi, vel Ecclesiæ causam, qualis equidem esse potest vel ad avertendum populum à peccatis, tempore præsertim bacchanalium; vel si huiusmodi oratio locum teneat spiritualium exercitiorum, cum frequentia Sacramentorum Pœnitentiæ, et Eucharistiæ; vel etiam si instituta sit

(4) Quæ à nostro Auctore traduntur super usu paramentorum nobiliorum, seu ornatiorum alterius coloris, deficientibus similibus coloris officio convenientis, decretis citatis num. 116 adversantur. Siquidem si adducta sententia tenenda esset, neque rubricæ servarentur, neque sensus mysticus, neque alia momenta reperirentur queis in diligendis pro diversitate officiorum coloribus Ecclesia movetur. Insuper cum Garcellinio adnotabimus « circumstantia solemnioris non valet ad immutandum ritum » à rubricis præscriptum sine speciali privilegio, de quo in *Instructio* ne vola quidem aut vesigium occurrit (Comment. ad Instr. » Clemert. § XII, num. 10). » Cum itaque expositio Sacramenti inter votivas functiones, quæ officium videlicet non afficiunt, enumeretur nulam adesse rationem leges ab Ecclesia sanctas immutandi pro certo tenendum est. Stabant propterea ecclesiasticæ sanctiones, in huiusmodi missis paramenta coloris officio convenientis omnino adhibenda esse. (P. M.)

in suffragium animarum Purgatorii, ideo dicendum venit, solemniori Missæ, quæ, durante expositione ss. Sacramenti, pro una saltem ex dictis, vel aliis similibus causis celebratur, omnia tribui posse privilegia, quæ Missæ solemniori pro re gravi competere possunt: ideoque iuxta etiam instruct. Clement. singulis anni diebus celebrari dictæ Missæ votivæ solemniores possunt, exceptis solummodo quæ sequuntur, videlicet: 1. In duplicibus 1 et 2 classis. 2. In Dominicis 1 et 2 classis, videlicet à Dom. Septuagesimæ usque ad Dom. in Albis inclusive, et in quatuor Dom. Adventus. 3. In feria 4 Cinerum, nec non 2, 3 et 4 maioris hebdomadæ. 4. In diebus singulis infraoctavas Epiphaniæ, Paschæ, et Pentecostes.

» In quibus autem Dominicis, aliisque diebus, et feriis exceptis cantetur sive in Collegiatis iuxta P. Caval. post instruct. Clement. et usitatur Romæ in Cappella Pontificia, sive in aliis Ecclesiis Missa de die cum commemoratione ss. Sacramenti sub unica conclusione, ut servetur orationis unitas, quam exposcunt solemniores Missæ, quæ pro re gravi celebrantur.

» Huic tamen sententiæ de non celebranda in Ecclesiis Collegiatis Missa votiva solemniori de ss. Sacramento in dup. 1 et 2 classis, aliisque diebus ut supra exceptis, opponitur P. Gavantus part. 2, tit. 14, n. 4, imo et P. Merati post S. R. C. decretum sic sonans: *Quando exponitur Sacramentum in altari pro initio XL horarum, vel spiritualium exercitiorum, si accidat in festo 1, vel 2 cl. sive in Dominica privilegiata 1 vel 2 classis, tunc in Collegiatis vel duæ cantentur Missæ, una de festo, seu de Dominica post Tertiam, altera votiva de Sacramento post Nonam: vel una cantetur de die cum commemoratione ss. Sacramenti. S. R. C. 13 febr. 1666.*

» Eligat hic proinde vir doctus, et prudens de duabus, quæ ipsi magis placuerit, sententiis. Cum tamen hic supra ei-

tatum decretum æque stet pro utraque parte, et instructio Clement. sit posterior tali decreto, mosque servetur in Pontificia cappella de non celebranda Missa votiva solemnī ss. Sacramenti in dictis diebus exceptis, ideo standum satius videtur pro prima sententia.

» In reliquis anni diebus, etiam in dup. mai. in Ecclesiis Collegiatis cantentur duæ Missæ, una de festo, seu de Dominica post Tertiam, et altera votiva solemnī de ss. Sacramento, quæ habetur circa finem missalis (infra octavam tamem Corporis Christi dicatur Missa de huiusmodi solemnitate) post Nonam, cum *Gloria*, *Credo*, et Præfat. de Nativitate, sine commemoratione festi, de quo factum est officium, et tempore paschali addatur consuetis locis *alleluia*.

» In Ecclesiis vero non Collegiatis celebretur etiam in dup. mai., et reliquis diebus ab instruct. Clement. non exceptis, solemnī Missa de Sacramento ut supra, cum *Gloria*, *Credo*, et Præf. de Nativitate sine commemoratione festi currentis. *Rubrica missal. tit. 9 de orationibus n. 44*. Nec adest tunc obligatio aliam cantandi Missam de festo, nisi adsit aliunde talis obligatio.

» Si aliqua ex tribus diebus celebretur Missa solemnī de necessitate, propter quam fit oratio *XL* horarum, tunc loco Missæ solemnī de ss. Sacramento dicatur iuxta instruct. Clement. Missa de tali necessitate, cum commemoratione ss. Sacramenti sub unica conclusione, cum *Gloria*, nisi celebretur in paramentis violaceis, seu nisi Missæ qualitas id vetet, et *Credo*; Præfatio, nisi Missa propriam habeat dicatur de Nativitate (1).

» Missæ privatæ, diebus, qui iuxta

generales rubricas Missas votivas privatas excludunt, dicantur de festo, de quo factum est officium, cum commemoratione ss. Sacramenti post omnes alias commemorationes de præcepto, etiam post illam ad libitum, sine *Credo*, nisi Missæ qualitas id postulet.

» In duplicibus tamen 1 et 2 classis non est facienda in dictis Missis privatis commemoratio de ss. Sacramento, iuxta decreta S. R. C. 2 dec. 1684, et 2 sept. 1741. Nomine vero festorum 1 et 2 classis non veniunt Dominicæ Adventus, nec quæ intercedunt à Dominica Septuagesimæ usque ad Dominicam Passionis inclusive, et etiam Dominica in Albis: quæ Dominicæ cum non respuant commemorationes currentes, et de mandato, nec respuere debent illam ss. Sacramenti. In quibus ergo Dominicis fieri utique potest commemoratio SSmi Sacramenti, sicut etiam infra octavam Epiphaniæ, et in feria 4, 5, 6, et Sabbato infra octavas Paschæ, et Pentecostes, necnon in feria 4 Cinerum, et 2, 3, et 4 maioris hebdomadæ, non tamen in Dominica Palmarum, et vigiliis Nativitatis Domini, et Pentecostes eo quod tales Missæ donatæ sint privilegio unicæ orationis.

» In Missis votivis privatis ss. Sacramenti, quæ in diebus à rubrica generali concessis, durante expositione *XL* horarum, celebrantur, non dicatur neque *Gloria*, neque *Credo*, iuxta Missalis rubricas, necnon instruct. Clem. In quibus Missis 1 oratio erit propria de Sacramento: 2 de officio diei currentis: 3 vero quæ aliunde dicenda foret secundo loco in Missa de officio iuxta sequens decretum: *In Missa votiva ss. Sacra-*

(1) Quæ tradunt Rubricæ Missalis pro symbolo et præfatione sedulo sunt attendenda. «In ipsis (scilicet Missis votivis) non dicitur » *Gloria in excelsis* nec *Credo* nisi pro publica » Ecclesiæ causa, et tunc etiam si dicantur in » paramentis violaceis dicitur *Credo* si sit Do- » minica, non autem *Gloria in excelsis*. (Tit.

» de Missis votivis): In Missis votivis dicitur » etiam Præfatio propria si propriam habeant: » si vero non habuerint dicitur Præfatio de tem- » pore, vel de octava, infra quam contigerit » huiusmodi Missam celebrare alioquin Præfatio » communis (Tit. de Præfationibus).» Rubricis ideo standum, dimissa Auctoris opinione. (P. M.)

menti tertia oratio dicenda est ea, quæ secundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non vero ea, quæ est assignata secundo loco infra octavam eiusdem ss. Sacramenti. S. R. C. 4 apr. 1705. Videlicet ab octava Epiphaniæ usque ad Purificationem B. V. erit *Deus, qui salutis*: A Purificatione usque ad fer. 4 Cinerum erit *A cunctis*: à fer. 4 Cinerum usque ad Dominicam Passionis exclusive, si factum sit officium de feria, erit etiam *A cunctis*: si vero de aliquo sancto, tunc tertia oratio erit de feria; et sic de cætero per annum, dummodo tamen de præcepto facienda non sit alia commemoratio v. g. festi simplicis: Præf. de Nat., in fine *Bened. Dom.* et semper Ev. s. Ioan. In principio: color erit albus.

» An Missis privatis, quæ triduo orationis XL horarum, sed præviæ expositioni celebrantur, iura omnia concedantur, quæ talibus Missis, dum ss. Sacramentum manet expositum, de iure competunt, ideoque faciendam in ipsis esse in diebus ut supra non exceptis commemorationem ss. Sacramenti? Videtur negative; cum enim per S. Rituum Congregationis decretum 16 februarii 1737 fieri mandetur in omnibus Missis commemoratio de Sanctissimo Sacramento, cum hac se exprimit clausula, *dum Sacramentum est patenter expositum*; proindeque, expositione non existente, nullo huiuscemodi privilegio tales Missæ donari debent: immo de *Requiem* etiam diebus cæteroquin non impeditis dici possent, si modicus præsertim sit audientium numerus.

* An denique, durante expositione ss. Sacramenti occasione XL horarum, licita sit Missæ defunctorum sive solemnibus, sive privatæ celebratio? Resp. Quod licet per S. R. Congregationis decretum 2 decembr. 1684, sic sonans, *Durante expositione ss. Sacramenti occasione XL horarum regulariter celebrari non potest Missa privata de Requiem, licet occu-*

rat officium huiusmodi Missas admitens: neque cantari potest Missa defunctorum pro adimplenda mente testatoris, sive anniversario faciendo, prohiberi videatur talem celebrationem; attamen, cum citatum decretum non sit absolutum, ut indicat adverbium *regulariter*, ideo dicendum, quod si oratio XL horarum instituta sit in suffragium animarum Purgatorii licita esse posset diebus à rubrica generali non impeditis celebratio Missæ privatæ non solum, sed et solemnibus defunctorum (quæ utique dici etiam poterit in dup. mai. et reliquis diebus per instruct. Clement. non exceptis, minime vero in festis de præcepto) cum hæc expresse cantari solummodo prohibeatur pro adimplenda mente testatoris, sive anniversario faciendo, nunquam vero in altari expositionis: quæ omnia fere comprobantur per sequens decretum: *Missæ de Requiem extra altare, ubi est expositum ss. Sacramentum etiam in pyxidi, poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram ss. Sacramento non sit pro publica causa. S. R. Congr. 7 maii 1746.*

» Si ergo publica causa pro expositione ss. Sacramenti sit suffragium animarum Purgatorii, quid vetat, quominus non solum celebrentur ad hoc Missæ privatæ defunctorum, sed etiam Missa solemnibus, cum decreti dispositio restricta non sit ad ad Missas privatas, adiecta solummodo conditione, ut non celebrentur ad altare, ubi est expositum ss. Sacramentum?

DE RITU CELEBRANDI IN ALTARI EXPOSITIONIS MISSAM SOLEMNEM, ET VESPERAS.

» Dum cantatur Missa solemnibus in altari expositionis, debet Celebrans de more benedicere incensum cum præter Sacramentum altare quoque, et ipsimet Celebrans debeant incensari. Hæc autem est generalis regula, ut non benedicatur incensum, quando cum eo in-

censandum est solum Sacramentum, bene vere quando incensari debet etiam altare, et Celebrans: in utroque tamen casu semper abstinendum est ab osculis tum cochlearis, tum thuribuli, tum etiam manus Celebrantis.

»Diaconus quoque osculari quidquam aliud præter dicenda non debet in hac Missa, quod tradi oporteat Celebranti, neque manum item Celebrantis in traditione rerum, ob apertam præsentiam ss. Sacramenti. Non debet tamen Subdiaconus omittere osculum manus Celebrantis in fine Epistolæ, et Diaconus pariter ad *Munda cor meum*, et ad oblationem per osculum patenæ, et manus Celebrantis. et denique in fine orationis Dominicæ, dum patenam Celebranti porrigit.

»Ratio osculandi altare hæc est, ut quoties Sacerdos iam est in medio altaris, prius illud osculari debeat, et postea genuflectere, quando vero non est in medio, sed venit ab aliquo altaris latere, prius genuflectat, et postea osculetur altare.

»Quoad genuflexionem hæc utroque genu fiet cum profunda reverentia in plano in principio, et fine Missæ, sed in progressu eiusdem semper facienda erit unico genu, ut communiter sentiunt auctores; nisi cum ad aliquod munus obeundum abscedendum est à presbyterio, et à choro, quia eo in casu facienda est utroque genu sive in recessu, sive in accessu. Quandoque sacri Ministri genuflectunt, ab impositione extremitatum manuum super altare: id enim soli Celebranti conceditur, quando manus impeditas non habet.

»In hac itaque Missæ solemnibus celebratione Sacerdos, et Ministri prope, et ante ingressum presbyterii caput nudare debent, et inferioribus Ministris tradere bireta. Facta postea in plano ante inferiorem altaris gradum genuflexione utroque genu cum profunda reverentia, absolutaque confessione, sine prævia

genuflexione ascendant ad altare, ubi facta genuflexione unico genu, illud osculatur Celebrans in medio, deinde retrocedit aliquantulum in cornu fero Evangelii facie versa ad cornu Epistolæ imponit incensum in thuribulo, illudque benedicit (idem esto de impositione incensi ad Evangelium, et ad offeritorium): tum facta cum sacris Ministris genuflexione in altaris medio, ac deinde genuflexus cum ipsis in suppedaneo, ut fert probabilior sententia, accipit thuribulum et ss. Sacramentum triplici ductu thurificat cum profunda reverentia ante, et post. Crux vero, si adest, non est incensanda iuxta decretum S. R. C. 29 novembr. 1738.

»Incensato de more altari enim incensandus est Celebrans reddito thuribulo in cornu Epistolæ, descendit, et sistit se apud idem cornu facie versa ad populum, adventens, dum movet se, terga vertat Sacramento, et ibi à Diacono è contra stante in plano incensatur: quod erit quoque servandum in altera incensatione ad offeritorium, et in utraque manuum ablutione, eadem enim est ratio exeundi extra altare tam pro incensatione, quam pro ablutione manuum, et utrumque servatur Romæ. *Gavant, part. 2, lit. 44.*

»Dum Subdiaconus, post cantatum à Diacono Evangelium, Celebranti defert librum Evangelii deosculandum, etsi transeat ante ss. Sacramentum, huic nullam genuflexionem faciat, ob reverentiam s. Evangelii, deinde incensatur more solito Celebrans, qui non descendit in plano, sed in suo se sistit loco.

(Se continuará.)

MADRID.

IMPRESA DE HIGINIO RENESAS,

calle de Valverde, 24.